

ceres, & facetias studiose conſectari, non ſerio agere urbanos homines, niſi uultu ad omnem ſeueritatem composito, atque elato ſupercilio ſeſquipedalibus, ut poeta inquit, uerbis hæc effutirent. Reges bene conditis, ac bonum ſuccum procreantibus cibis miſere interire, remiges uero, ut tuus Scaliger inquit, & fabros, & uitrarios, & meſſores, alio, bulbis, cepullis, ulpicis, fale, uino, pipere differctos, non mori, id uero in primis eſt admiratione dignum. Sed heus tu, non omnes Reges ita uiuunt delicate, ut tu tibi opinionis errore fingis, nec omnes iſis cibis ueſcuntur, qui tantam primum in corporibus, deinde in iſis quoque eorum animis tempeſtatem concitent: neque omnes uno eodemque ſunt, uel corporis habitu, uel partium temperamento. Quo fit, ut cunctos Reges, non una uis caloris, ac ſiccitatis poſſit attingere. Quin ſunt aliqui frigida natura præditi, alij hanc ſibi intemperiem accerſunt, dum cruditates aggerunt, alij libidinoſa, & uoluptaria uita ſibi malum procurant, alij iam ſenes etiam ſunt. His omnibus non exitium, ſed ſalutem adfert calida & ſicca aeris conſtitutio, quam Cometas efficere uolunt. Nullum igitur à Cometa Regibus malum impendet, ſed ſalus potius eſt expectanda. Sed ſit ſane eiufmodi princeps aliquis, qui non alijs cibis utatur, quàm qui bilem augeant, qui que inductum à cometa aeris uitare æſtum nequeat, ſemper ſub dio iacere, Soliſque ſe ardoribus excoquendum dare neceſſe habeat: huic certe febris, & aurigo potius, quàm belli ſtadium imminebit. Ut breui concludam: nullus annus eſt, quo non alicubi Princeps aliquis aut naſcatur, aut etiam moriatur, idque etiam nullo cometa apparente. Quare nec ſunt ſigna, nec cauſæ eorum aut ortus, aut obitus. Id ſi fit, tamen aliquando lucente cometa temere fit, atque ex accidenti, perinde (ut magnus ille Caſertæ Epicoſopus Anton. Mirandulanus ſcribit) ac ſi aliquo lauante in balneo, coruſcaret. Fiunt hæc ex materia neceſſitate. nihil cœlo cum Imperatoribus &

Regibus.